

REGIAE PERSONAE.

1) Ingressus in Presbyterium.

Vd.: *Instructio Clem.* §. XXVII. n. 3.

2) Thurificatio.

Vd.: *Laici* (Thurif.); *Mulier* (pax etc.); *Thurificatio*.

REGINA

1) Angelorum.

Ut Titularis, vd.: *Assumptio B. V. M. ut Titularis*.

2) Coeli laetare etc.

Non dicend. a Concionatore, vd.: *Salutatio angel.*

3) Sine Labe origin. etc.

Vd.: *Lytaiae B. V. M.* (add. licita, decr. n. 5148).

REGULARES.

1) Adoratio SSmi in Orat. 40 hh.

Vd.: *Instructio Clem.* §. IX. n. 16. 17.

2) Benedictionem papal. impert. facultas.

Cl.: *Bened. Papalis*; *Papalis Bened.*

Benedictus PP. XIV.

Exemplis Praedecessorum nostrorum adducti nonnullis familiis regularibus permisimus, ut fideles, qui statis anni diebus ipsarum Ecclesias visitarent et indictis operibus satisfacerent, indulgentiam plenar. consequerentur atque *Monasterii Praeses vel alius Sacerdos* a P. Provinciali designandus populo tunc temporis congregato SS. Pontificis nomine Benedictionem impertiret.

Nullus unquam ritus ad *hanc rem* peragendam praescriptus fuit, et deprehendimus quemdam ritum temere et inconsulto excogitatum esse. Quippe simplex Sacerdos in medio altaris collocatus Ministris circumstantibus et

s. indumentis ornatis trinam Benedictionem populo impertit et alia plura gerit, quae enumerare supervacaneum existimamus.

Equidem *Benedictio super populum* sol. est eamque in quacunque Orbis terrae parte Rom. PP. elargiri potest; Episcopus in sua dioecesi et *locis ipsius etiam exemptis*; Archiepiscopus in sua Provincia et *locis ejus exemptis*. Porro Abbatibus ejusdem Benedictionis super populum tribuendae facultas conceditur in Ecclesiis, quae ipsis plene subjiciuntur, modo tamen apost. privilegium ad id necessarium obtinuerint.

Quo sane uti nequeunt, nisi postquam *Sacrum sol. aut Vesperas in Ecclesia peregerint*; nam populo in via passim occurrenti benedicere ipsis non licet, nisi id clare in eodem privilegio declaratur.

Simplex ergo Sacerdos nequit Benedictionem super populum elargiri juxta Can.: *Ministrare 26. quaest. 6. Benedictionem quoque super populum in Ecclesia fundere Presbytero penitus non licebit*, quod tamen eidem Sacerdoti modo permittitur, postquam divinum Missae Sacrificium absolvit. Dictum est: *modo permitti**; si enim s. antiquitatem inquiramus, neque id Presbytero licitum olim fuisse cognoscemus, uti Nos ipsi certis documentis ostendimus in *nostro Tractatu de Sacrificio Missae sect. 1. n. 382. ac sect. 1. n. 391.* Etsi si quidem in usu semper fuit, ut re divina peracta populus ab Ecclesia benedictione dimitteretur, quemadmodum in Can.: *Missas, de consecrat. dist. 4.* continetur, id tamen non a Sacerdote celebrante sed vel ab Episcopo, si praesens erat, vel eo absente ab Archipresbytero ejus jussu

*) Vd.: *Bened. sacerd.* (extra miss. et in missa).

praestabatur; quo sensu explicatur decretalis in cap.: *Officium*, de Officio Archipresbyteri, ubi inter Archipresb. munera recensetur: *Benedictiones presbyterales in Ecclesia dare.*

Quibus omnibus subsequens plurium saeculorum contraria praevaluit disciplina, quae Sacerdoti celebranti potestatem fecit benedictionem super populum in fine Missae effundendi, ob eam potissimum causam, quam Bello-tus recenset in *ritibus Landunensis Ecclesiae par. 3. p. 136 n. 9.*: *At cum benedictio ad Missae perfectionem pertineat hodie, sine qua fas non est ab incaepo sacro recedere nec jure queat populus ante benedictionem egredi, ex praecitata Agathensi Synodo, quatenus integrae Missae non interesset quisquis praematuro recederet, sequitur, facultatem celebranti concessam esse, priv. illam benedictionem ad finem Missae populo ubique locorum impertire.*

In Can.: *Ecce ego, dist. 95.* haec leguntur: *Nemo hinc Episcoporum invidiae diabolicae tentationis inflatus irascatur in templo, si Presbyteri interdum exhortentur plebem, si in Ecclesiis praedicent, si plebibus, ut scriptum est, benedicant.* Si glossae fidem praestemus, illud *benedicere* declarat Benedictionem, quae populo traditur a Sacerdote, qui rem divinam perficit, nempe post ea verba: *Ite Missa est*: quam sane interpretationem Nos minime respuimus, cum certum habeamus, eundem textum s. Hieronymo non esse tribuendum, quod nonnulli falso putaverunt; sed incerto auctori, qui inter vivos fortasse tunc agebat, cum benedictio in fine Missae inter benedictiones presbyterales jam haberetur ususque invaluisse, ut Sacerdos peracto Missae sacrificio populum benedictione *jure suo* dimittat, sive absit sive intersit Episcopus, ea tamen *statuta lege, ut si intersit et in sua*

sit dioecesi, ad eum prius se convertat eique caput inclinet veluti facultatem populo benedicendi postulans, quod ab eodem Sacerdote praetermittitur, si Episcopus Missae intersit, sed extra suam dioecesim.

Cum jam prospectum sit, quo tempore et loco simplex Sacerdos populo possit *jure suo* benedicere, necessario consequitur, nullam aliam benedictionem super populum ab ipso impertiri licite nisi *jure delegato*. Nostrum est omnino ritum praescribere.

Admoneatur populus de indulgentia a Sede ap. concessa, de praeceptis operibus pro ea lucrificanda, de die, quo visitanda est Ecclesia, de hora denique, qua datur Bened. Pap.; admonitio haec fieri possit etiam schedis impressis et palam affixis, licet enim id a Clem. VIII. fuerit vetitum FFr. B. M. de Mercede Redempt. Captiv. et FFr. ss. Trinit. Redemptionis pariter Captiv. in communicatione Indulgentiarum et Orationum, visum tamen Nobis est id esse hypothesi inapplicabile, cum caeteris praetermissis praedicta communicatio certum genus personarum, quosdam videlicet, ut plurimum, Confratres, non autem populum universum complectatur.

Postquam statutis die et hora populus ad Ecclesiam convenerit, alta voce legantur literae apost., quibus indulgentia conceditur, una cum potestate benedictionem ap. super populum effundendi, ut de delegatione audientibus constet; et concessio ex latino sermone in vulgarem accommodatum ad populi intelligentiam conversa pronuncietur; populus ad suorum scelerum detestationem pio brevique sermone excitetur. *Post quae Sacerdos nullis circumstantibus ministris stola et superpelliceo indutus ante altare genuflexus sequentibus verbis Dei opem imploret:*

V. *Adjut. nost. in nom. D.*
 R. *Qui fecit coelum et terram.*
 V. *Salvum fac populum tuum Dom.*
 R. *Et benedic haereditati tuae.*
 V. *Dominus vobiscum.*
 R. *Et cum Sp. t.*

Deinde stans dicit Orationem :

Oremus.

Omnip. et miseric. Deus, da nobis auxilium de sancto et vota populi hujus in humilitate cordis veniam peccatorum poscentis tuamque benedictionem praestolantis et gratiam, clementer exaudi, dexteram tuam super eum benignus extende ac plenitudinem divinae benedictionis effunde, qua bonis omnibus cumulatus felicitatem et vitam consequatur aeternam. Per Chr. D. N.

Postquam ad cornu Epistolae accedat et non trina, hoc est triplici signo Crucis, sed una benedictione unividelicet signo Crucis benedicat profrens alta voce haec verba :

Bened. vos Omnip. Deus † Pater et Fil. et Sp. S.

R. *Amen.*

Trina siquidem benedictio Episcopo competit, non Sacerdoti; cumque nonnulli in fine Missae trinam usurpare coepissent, consuetudo Clementis VIII. auctoritate sublata est*). Id nos etiam advertimus in *nostro tractatu de Sacrificio Missae sect. locis supracitatis*. In rubrica quoque Missalis haec habentur: *In Missa solemni celebrans eadem voce et modo, qua in Missis privatis, semel tantum benedicit populo*. Insuper *Caer. Ep.* trinam bened. ipsis solum tribuendam decernit, quod eadem Missalis rubrica confirmatur: *Episcopus autem ter benedicit populo etiam in Missis privatis, ut in Caerem. habetur*. Postremo Alexand. VII. decreto

*) Meratus t. I. p. 243.

27. Sept. 1659 tempora indicit ac recenset, quibus Abbates usu Pontif. praediti ritu solemni celebrantes trinam benedictionem impertire possunt; quod iisdem penitus interdicitur, cum rem divinam privatim conficiunt. Quocirca non sine animi nostri voluptate Epistolam legimus encyclicam P. Gen. Coenib. Ord. Erem. s. Augustini, quibus in Nostris ap. literis potestas facta est dandi in certis anni festivitibus benedictionem Pap., in qua eosdem admonet, ut populo benedicant unico signo Crucis more sacerdotali.

Hac itaque Epistola encyclica ritum statuimus, quo Bened. Papalis in posterum tribuetur, eumque notum facimus Ord. reg. Praesidibus, ut ipsum Regularibus sibi subjectis observandum indicant. Equidem Alexd. VII. usum Pontifical. Abbatibus, quibus id privilegio convenit, accurate praescribens Ordinarii locorum facultatem concedit, ut, si quid contrarium Abbates commisissent, ipsi tamquam Sedis ap. Delegati rem cognoscerent et censuris etiam, si opus esset, omnem insolentiam compererent. Nos praecipimus, ut de illis Regul., qui praescriptum a Nobis ritum benedictionis violaverint, Nos statim certiores efficiant et Nos facultatem bened. ejusdem tribuendae parere recusantibus auferemus et largiemur aliis, qui jussa nostra facere non detrectabunt.

Datum Romae 19. Mart. 1748.

(Bull. r. t. XVII. p. 225.)

Clemens PP. XIII.

Cum alias per nostras literas incipientes: *Inexhaustum**) etc. VV. FFr. Patriarchis, Primatibus, Archiep. et Episcopis duabus anni solemnitatibus nimirum Paschae Resurr. alioque festo sol. eorum arbitrio designando, Praelatis vero inferioribus usum Pontifica-

*) Vd.: *Papalis Benedictio*.

lium cum Territorio separato et Jurisdictione quasi episcopali habentibus semel in anno in uno ex diebus, in quibus eorum singulis Pontif. usus permittitur, nempe in praefato sol. die Pasch. Resurr., populo in Ecclesia congregato Romani Pontificis auctoritate et nomine sol. benedicendi cum elargitione plenariae Indulg. juxta ritum et formam tum traditam concesserimus, in iisdem literis facultates similes impertiendi Rom. Pontificis nomine ap. benedictionem aliquibus regularibus Ordinibus concessas praeservavimus, districte tamen dilectis filiis eorundem Ordinum Superioribus et Professoribus etiam speciale mentione dignis, facultate et indulto hujusmodi gaudentibus et qui in posterum gaudebunt, injunximus ac praecepimus, ut, quibus diebus Episcopi facultate hujusmodi uterentur, ab elargienda praedicta sol. benedictione penitus abstinerent.

Verum, cum ad Nos perlatum sit, ex quo in concessionibus illis Ordinibus factis minime fuit expresse praescriptum, regulares personas ad impertiendam supra populum benedictionem a propriis Superioribus designatas opportunam prius ab Archiep. vel Episcopo aut Praelato resp. loci illius licentiam exquirere debere, functiones hujusmodi absque Ordinariorum licentia et permissione, imo ipsis aperte dissentientibus, non semel sed pluries in anno atque etiam contra Nostrum expressum praeceptum iisdem diebus a praedictis locorum Praelatis peragantur, non sine gravi fidelium scandalo, a Regularibus peragi contigisse, quare, cum tolerari ubique non debeat ap. mandata a religiosis praecipue Viris negligi aut non servari, et omnino incongruum sit, sol. super populum et sacram peragi actionem ignaris vel dissentientibus Pastoribus, quibus ejusdem populi cura et sollicitudo commissa est, hujusmodi non mediocri

malo congrua remedia adhibere volentes, ut in posterum ap. Sedi et aliarum ecclesiarum Pastoribus debitus honor ac reverentia habeatur, hac Nostra in perpetuum valitura sanctione constituimus ac declaramus: *Regulares Ordines etiam specialiter exprimentos, quibus facultas bened. elargiendi super populum a Rom. Pontificibus quomodocunque concessa et per Nos in dictis Nostris literis praeservata fuit, eorundem Ordinum personas regul. ad id designatas ac Superiores ipsos facultate et concessione hujusmodi resp. uti non posse sine scientia et permissione Episcopi dioec. aut Praelati loci ordinarii activam jurisdictionem in populum et Clerum habentis, ab ipsis quidem ante in scriptis impetranda, quam per publica edicta seu enunciationes aut proclamationes populum de benedictione statuta die elargienda, ut se ad Sac. Confessionis et Communionis ea die suscipienda disponat, certiores faciant vel si edicta hujusmodi omitti contingat, triduo saltem ante ipsam diem benedictionis, eadem licentia et permissio in scriptis impetrari omnino debeat sub poena suspens. ab omni Officio et dignitate aliisque Nostro arbitrio inferendis.*

Non obstantibus quibuscunque ...

Datum Romae die 30. Aug. 1763.

(Bull. r. Continuatio t. II. p. 399 Ed. Rom. 1837.)

3) Cardinales.

(Habitus.)

Vd.: *Regul. Episcop.* (habitus.)

4) Clausura.

De clausura quorumcumque virorum regul., vd.: Constit. Bened. XIV. de die 3. Jan. 1742.

(Bull. r. t. XVI. p. 60.)

De Regul. extra claustra degentibus, vd.: *Constitut. Bened. XIV.* de die 27. Maii 1746.

(Bull. r. t. XVII. p. 28.)

5) Episcopi.

a) Electio.

Cf.: *Episcop. Regul.*

Clemens PP. XIII.

Dil. filio Nobili Principi Montis
Maurentiaci.

Acceptis secundis literis Tuis, quibus iterum postulasti, ut dilectus filius Chrysostomus Ordinis Carmelitici exalceatorum Episcopatus honore donaretur, doluimus iterum, quod obsistentibus canonicis sanctionibus votis Tuis obsecundare non liceat: non enim sat est ut quis ad talem tantumque gradum evehatur, quia vir probus et doctus sit et ecclesiastico praestimonio facile dotandus, nisi id ipsum vel Ecclesiae necessitas postulet vel magna utilitas suadeat, quemadmodum prioribus in literis Nostris latius perscripsimus: quamobrem cum ille perfectissimum vitae genus amplexus fuerit sacrisque praedicationibus diligenter incumbat, Tu vero eum singulari studio prosequaris, curandum est, ut in ea, in qua vocatus est, vocatione, sancte lubenterque permaneat.

Datum Romae apud s. Mariam maj. die 2. Jan. 1760.

(Bull. r. Continuatio t. II. p. 46. Ed. Rom. 1835.)

Pius PP. VI.

Cum Nos Ecclesiae Pechinensi in Indiis pastoris solatio ad praesens destitutae te, qui habitum per fratres ordinis Eremitarum s. Augustini exalceatorum nuncupatorum gestare solitum suscepisti et professionem per

eosdem emitti consuetam expresse emisisti Regularem, ob tuorum exigentiam meritorum in Episcopum et pastorem te praeficere intendamus et sicut accepimus, in quartum votum per eosdem fratres emitti solitum de non acceptanda quacumque dignitate extra tuam religionem, nisi id tibi sub praecepto obedientiae a Romano Pontifice injungatur, juxta constitutiones ipsius ordinis auctoritate apostolica confirmatas emiseras ac juramentum ea super re praestiteris,

Nos sperantes te dictae Ecclesiae Pechinensi in Indiis, si illi in Episcopum praeficiaris, plurimum utilitatis allaturum teque proinde specialis favore gratiae prosequi volentes et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a jure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existis ad effectum praesentium tantum consequendum harum serie absolventes et absolutum fore censentes, motu proprio, non ad tuam vel alterius pro te nobis super hoc oblatae petitionis instantiam, sed ex certa scientia et matura deliberatione Nostris deque apostolicae potestatis plenitudine tecum super quarto voto, ita ut, illo non obstante, te eidem Ecclesiae Pechinensi in Indiis in Episcopum et pastorem a Nobis praefici illique praesse libere et licite possis et valeas, tenore praesentium dispensamus votumque et juramentum hujusmodi tibi ad effectum praedictum relaxamus.

Datum Romae die 10. Julii 1778.

(Bull. r. Continuatio t. VI. p. 19.)

b) Habitus.

Episcopus Regularis tenetur habitum suae religionis deferre. Cap.: *Clerici officia* 15. de vita et honest. Clericor.

ibi: „Pontifices autem in publico et in Ecclesia superindumentis lineis omnes utantur, nisi monachi fuerint, quos oportet ferre habitum monachalem.“ Retento tamen colore habitus suae religionis potest se conformare cum Episcopis saecularibus in forma seu figura. *Donatus* prax. Regul. tom. 1. part. 2. tract. 6. quaest. 12. n. 8. in Rituali Romano reformato sub Clemente VIII. et sic modo servatur in praxi. Canonici autem Regulares s. Augustini in Episcopos promoti possunt uti habitu, quo utuntur alii Clerici saeculares in Episcopos creati. Leo X. Constit. 34. incip.: *Dudum*.

Episcopi ex ordinibus monasticis et mendicantibus assumpti habitum proprii Ordinis visibilem gestare debent. Benedictus XIV. Constit. incip.: *Biennium* §. 3., quae extat in supplemento tom. 3. sui Bullarii.

Id tamen non procedit quoad Canonicos Regulares et Clericos Regulares. *Idem ibid.* Sed recte observatur a Fratribus Professis Militiae Equestris s. Joannis Hierosolymitani. *Idem ibidem*.

Habitum suorum Ordinum debent deferre Regulares ad Cardinalatum assumpti. Greg. XIV. Constitut. incip.: *Sanctissimus*, Benedictus XIII. Constit. incip.: *Custodes*. Sic Episcopus Regularis tenetur portare habitum suae religionis: *Communis cum Henric.* in summa lib. 10. cap. 32. §. 5. et cap. 33. in fine, *Valent.* 2. 2. disput. 10. quaest. 3. punct. 8., *Azor.* part. 1. lib. 12. cap. 7. quaest. 4., *Bartholomaeus* a s. Fausto in Thesaurio religios. lib. 6. quaest. 199., *Barbosa* super Trident. sess. 25. de Regularibus cap. 19. n. 38., *Lessius* de justitia lib. 2. cap. 40. dubit. 14. n. 113., *Petrus de Ledesma* in summa part. 2. tract. 32. cap. 3. ad fin. *Fr. Joan. a Cruce* de statu relig. 1. cap. 7. dubit. 4., *Sanch.* in praecepta decalogi tom. 2. lib. 6. n. 21. et ex multis reprobatur *Rodrig.* Addition. ad summ. verb.: Episcopus, cap. 68. conclus. 6., ma-

xime ex Concilio Lateranensi, et addens, Sixtum V. semper gestasse habitum regularem Ordinis, ut de facto vidimus etiam hisce nostris temporibus Benedictum XIII. semper eum gestasse, et citat Caeremoniale Papae Clementis VIII., ubi jubetur, quod Episcopus monachus non portet rocchetto, sed vestes coloris sui habitus Regularis cum birreto nigro et galero circumcirca fibrato viridis coloris. Et sic novissime statuit sub poena suspensionis ab exercitio Pontificalium ipso facto incurrenda Benedictus XIII. cit. Constitut. incip.: *Custodes*, relata per extensum a *D. Urseya* tom. 6. part. 2. disceptat. 37. n. 6., ubi multa ad rem, quaeque etiam a nobis ad literam afferuntur infra.

Episcopi autem et Cardinales Regulares, quamvis sine causa habitum religionis deponant, non incidunt in excommunicationem latam a Bonifacio VIII. in cit. cap.: *Ut periculosa* 2.: Ne Clerici vel monachi in 6., quia Episcopi et Cardinales, licet teneantur deferre habitum suae religionis et certe peccarent, si talem habitum non deferrent, ut docet *Cardin. Petra* tom. 4. Comment. in Constit. 1. Eugenii IV. num. 22. et tom. 5. in Constitut. 9. Sixti IV. sub n. 17., tamen sunt extra religionem quoad vim coactivam, ita ut requiratur mentio specialis eorum et non possint venire sub nomine et turba Professorum, de quibus loquitur Bonifacius VIII. in cit. cap.: *Ut periculosa*. quotiescumque elevati fuerint ad dignitatem episcopalem, maxime quia cessat causa et ratio textus „ne vagentur Professi extra obedientiam Superiorum habitu dimisso“, quod non est verificabile in Regularibus Episcopis et Cardinalibus. *Passerin.* tom. 1. de statu homin. quaest. 185. art. 8. n. 142., *Diana* part. 2. tract. 2. de dub. Regular. resolut. 50., *Cardin. Petra* tom. 5. Comment. in Constit. 9. Sixti IV. n. 17.,

Barbosa super Trident. sess. 25. de Regularib. cap. 19. n. 39., *Azorius* l. c. lib. 12. cap. 17. quaest. 4., *Sanchez* l. c. cap. 6. n. 23., *Bartholomaeus* a s. Festo l. c. quaest. 200., *Tract. Emman.* tom. 2. quaest. 58. art. 3., *Sanctarell.* de Apostasia cap. 1. n. 15., *Bonacina* et alii passim contra Majol. de Irregular. lit. 2. cap. 1. n. 13., *Fulo Pacianus* consil. 132. n. 42. volum. 1., *Surd.* de aliment. tit. 8. privileg. 79. n. 10., *Henriq.* lib. 10. cap. 33. in fin. et alios existimantes Episcop. Regularem omitentem habitum et assumendo illam albam et candidam vestem, quae ab Episcopis exterius defertur, incurrere excommunicationem latam contra monachos deponentes proprium habitum in cit. cap.: *Ut periculosa 2.*: Ne Clerici vel monachi in 6. Habitu clericorum saecularium, qui in Episcopos creantur, uti possunt Canonici Regulares ad Episcopatum assumpti. Leo X. Constitut. incip.: *Dudum.* Nunc autem quoad concernentia habitum et varia alia Episcoporum et Regularium attendenda est novissima Constitutio Benedicti XIII. quae, ut ab omnibus percipiatur, hic ad litteram datur:

„*Custodes* super muros Jerusalem a Christo Domino constituti de omnibus sacrorum virorum ordinibus in eo, quo decet sanctiori disciplinae splendore, servandis magnam vigilantiam et sollicitudinem gerere debemus; tum vero illud nobis incumbit, ut, qui e Regularium, monachorum et mendicantium institutis ad onus episcopale admoventur, majoris observantiae et virtutum specimine gregi sibi subjecto prae luceant, primaevique instituti, cui nomen dederunt, insignia more majorum perpetuo retineant non solum in monastica et regulari professione, sed etiam in specialibus indumentis inque rasili tonsura ad planitiem cutis quisque, ut sui Ordinis Regularis, monastici et mendicantes peculiaribus,

signis, pridem solemniter vitam Deo consecraverat.“

„Moerorem, quem jam dudum animo premimus, celare diutius non possumus nec debemus: quippe quem post nostram humilitatem ad summum apostolatam evectam, praesulum doctrina et pietate praestantium expostulationes auxerunt, nimirum quod nonnulli Episcopi ex Regularium, monachorum et mendicantium familiis assumpti reperiantur, qui brevioribus vestimentis pristinae suae professioni minime congruis, sed quibus tantum inferiores Clerici saeculares uti soleant, se in ipsa etiam civitatum frequentia palam spectandos peti non erubescant, laneasque tunicas a suorum Ordinum conditionibus praescriptas et eorumdem vitae sanctimonia quodammodo consecratas inducere detrectantes, etiam contra caeremoniales Episcoporum sanctiones, a Romanis Pontificibus antecessoribus nostris probatas, summa omnium admiratione vestes sericas praeferant, eo quoque impudentiae, sui status plane immemores, progressi, ut albas chirothecas ad ostentationem gerant, inque pontificalibus Ecclesiae functionibus, unde omnis arrogantiae typhus et fucus abesse debet, superpelliceum Episcopis monachis vel ex ordinibus mendicantium proprium abjicientes rocchetto Praesulum ex Clericis saecularibus assumptorum temere adhiberent; nec defuit, qui colores a suo instituto omnino abhorrentes in exterioribus vestibus jactare non dubitaverit. Haec quam dedeant Episcopos, qui ex monachorum et mendicantium Regularis non sine spiritus apostolici afflatu conscriptis modestiam sacerdotalem nunquam ex suis animis obliterandam caeterasque virtutes aliis propinandas haurire debuissent, quosque in majori gradu, quo Spiritus Sanctus eos possuit, auctas retinere oporteret; non

jam nostris verbis dicemus, ne ipsi, qui Regulam Ordinis Fratrum Praedicatorum, quam professi fuimus et profitemur, quique onus Episcopale per totos quinquaginta annos sustinens ejusdem nostri Ordinis sacros ritus disciplinamque, Deo juvante, in omnibus observare studuimus, ex privato affectu loqui videamur: sed suis verbis dicent Romani Pontifices, qui nobis in eorum locum longe dispari merito suffectis exempla, quae sectari debeamus, reliquerunt. Dicent Concilia ab iisdem probata, auctorum ecclesiasticorum, quos honoris causa Patres doctoresque appellamus, documenta memorabunt.“

„Ut ergo a primis, hoc est a Romanis Pontificibus oriamur, inclytae recordat. Innocentius Papa III. Pennensem Episcopum Ordinis Cisterciensis olim Abbatem propterea graviter objurgavit, quod post acceptum Episcopatum »in sui Ordinis injuriam ageret in pluribus ut apostata et propriae conditionis oblitus picturata sella et chirothecis sericatis uteretur, amplo se galero coronaret et Cisterciensis Ordinis observantias non custodiret, a quibus eum Pontificalis dignitatis susceptio non absolverat, sed earumdem onus ei magis auxerat.« Si ad Concil. statuta evolvenda hinc processerimus, nobis se offeret Canon 27. Concil. Oecumenici VIII. seu Constantinopolitan IV. decernens, illos, qui monasticam vitam amplexi Episcopalem meruerunt honorem, conservare schema et amictum Monasticorum indumentorum et ipsam beatam vitam, nullamque habere potestatem deponendi jam dictum schema propter typhum et arrogantem voluntatem, ne per hoc inveniatur propriorum transgressor pactorum. Postremo »Episcopum, qui monasticarum vestium schema deposuerit, corrigendum statuit.« Haec rata habuit Canon 16. Concil. Oecumenici XIII. sive Lateran-

ensis IV. sub jam dicto Innocentio Papa III. definiens *Episcopos monachos deferre habitum monachalem.*“

„Hoc idem postea sanxit Synodus Londinensis ab Othobono S. R. E. Diacono Cardinali s. Hadriani et Apostolicae Sedis Legato celebrata, cujus Canon V. iis, qui de Monasteriis vel de Regularibus locis in Episcopos sunt assumpti vel de cetero assumentur, *suum deferre habitum regularem speciatim indicit.* De inconvenientia et dedecore habitus splendoris in Episcopis saecularibus, eoque magis in regularibus, extat Canon 16. Concil. Nicaeni II. Sed nostrorum temporum Regulares Episcopos instruentem audiamus Ferrandum Carthaginensis Ecclesiae Diaconum de B. Fulgentio Ruspensi Episcopo testantem, Episcopatum sine aliqua ambitione ab illo susceptum nec ita factum Episcopum, ut esse desisteret monachus: sed eum, accepta Pontificis dignitate professionis praeteritae servasse integritatem, nunquam pretiosa vestimenta quaesivisse, orario, sicuti Episcopi, nunquam usum, sed pelliceo cingulo, tamquam monachum. Nec vero soli Episcopi sed et ipsi Romani Pontifices eadem Religione se obstringi voluerunt. De magno enim Gregorio intelligimus, unacum ejus corpore inventum baltheum, qui speciem propositi Regularis, olim a s. Benedicto statuti, manifestaret. De Eugenio III. legimus »laneam tunicam carni ejus adhaesisse et diebus ac noctibus cuculla vestitum intus monachi habitum retinere, extra se Pontificem et moribus et vestibus exhibere consuevisse.« Denique Doctor Ecclesiae s. Thomas Aquinas, ob sanctioris Doctrinae excellentiam Angelici elogio cognominatus, cujus hodie festa recolimus, diserte docuit: »si quae sunt in regularibus observantiis, quae non impediunt Pontificale Officium, sed magis valeant ad perfectionis custodiam, sicut est con-

tinencia, paupertas et alia hujusmodi; ad hoc remanet Religiosus, etiam factus Episcopus, obligatus, et per consequens ad portandum habitum suae Religionis, qui est hujus obligationis signum.“

„Haec in sacris receptisque Ecclesiae Codicibus de exteriori amictu et habitu Episcopi Regularis sancita reperimus, quae nostrates ejusdem disciplinae Episcopi sibi diota meminerint. Rasilem capitis coronam in orbem expressam ad humilitatem docendum Regulae monasticae, Constitutiones, Usus et consuetudines statutis anni temporibus earumdem sacris alumnis renovandam praescribunt: quos postea Episcopalis caractere insignitos ea maxime distinguendos nemo in dubium vocaverit. Haec tamen, quae ex venerandis Ecclesiae monumentis adduximus, cum per humanam corruptelam, nisi eis occurratur, nobis ipsis spectantibus, in desuetudinem abire videntur, hac nostra Constitutione Apostolica, firmum robur perpetuis futuris temporibus habitura, ea omnia confirmantes et revocantes statuimus atque sancimus, ut et monastico, regulari et mendicantium instituto ad Episcopalem seu quaecumque aliam dignitatem etiam S. R. E. Cardin. jam eVecti et in posterum evehendi universis et singulis suae Regulae Officiis et obligationibus, quae Pontificale sive cujuscumque alterius dignitatis aut Cardinalatus Officium minime impediant, perpetuo subsint et proinde sui monastici Ordinis sive alterius Regulae mendicantium insignia et propria indumenta lanea suoque peculiari colore distincta, rasilem quoque et ad cutis planitiem in summo vertice vel eo gyro et forma expressam coronam praeferrant, quibus antea, cum intra eorumdem Regularium Ordinum claustra Deo militarent, ex solemni sua professione induere et coronam praeferre tenebantur, a cujus professionis

obligationibus per munus Episcopale nequitquam absolvuntur aut nullo pacto eximuntur. Propterea hujusmodi Episcopis ex familiis Regularium, monachorum et mendicantium assumptis in virtute sanctae obedientiae praecipimus et mandamus, ut omnia et singula praesentibus literis nostris hactenus recensita undequaque observare non differant. Si vero, quod absit, hoc agere contempserint vel neglexerint, eos poena suspensionis ab exercitio Pontificalium ipso facto incurrenda tamdiu innodatos esse declaramus, donec a contumacia resipiscentes ejusdem suspensionis relaxationem meruerint obtinere.“

„Quia vero pastoralis nostrae sollicitudinis est non solum excubare pro optimo statu et conservatione regularis observantiae in religiosis viris, qui ex monasticis et mendicantibus institutis ad onus Episcopale assumuntur, sed etiam prospicere, ne illi, qui ex his caeterisque universis Religiosis Ordinibus ad ejusmodi gradum eVecti Ecclesia sibi commissa postmodum se abdicaverint, ita vivant, ut qui eos primum in claustris monasteriorum, deinde in culmine episcopali conspexerant, quique ipsos demum curarum episcopalium oneri subductos visuri essent, eis objicere nullo modo possint, quod ideo ad Episcopatum irrepserint, ut hac via regularem observantiam deserentes extra sua claustra, quasi nullum unquam Religiosum Ordinem professi, vitam ducerent; haec animum nostrum, omnium quorumcumque Ordinum Regularium honoris amantissimum, permovent, ut Apostolica auctoritate approbemus, confirmemus et tanquam praesentibus inserta habeamus decreta duo ab antecessoribus nostris felicitatis recordationis Alex. VII. die 20. Julii anno 1662 et Clem. XI. die 11. Junii 1715 vulgata: quibus decretis Regulares ad transmarinos

Episcopatus sive Vicariatus Apostolicos translati vel etiam Ecclesiarum administratores aut visitatores creati, quotiescumque in locis et Ecclesiis sibi in Episcopalis dignitatis collatione adsignatis minime resederint vel Episcopatum dimiserint aut munere suo perfuncti seu quomodocumque a schismaticis vel infidelibus impeditis munus Episcopale exercere non possint, jubentur ad pristina suorum Ordinum claustra reverti cum reliquis confratribus suis sub eodem instituto religiosam vitam ibidem acturi.“

„Hujusmodi autem Episcopis tam pio disciplinae regularis instinctu ad suos redeuntibus Apostolica largitate concedimus, ut in sua provincia quodcumque Ordinis sui coenobium et monasterium, ubi commode et religiose degere possint, sibi pro libitu eligant; ideoque volumus et praecipimus, ut illorum Praesides et Superiores Regulares congruas eis et honestas cellulas in coenobiis et monasteriis ab eisdem electis adsignent. Itaque monachis, mendicantibus et cujuscumque Ordinis Regularibus, qui onere episcopali sibi imposito deinceps quomodocumque etiam ultro se abdicaverint, praecipimus eosque monemus in Domino, ut ad suorum Ordinum cellulas ultro quoque regrediantur, qua in re sanctitate et doctrina illustrium et magnorum Praesulum exempla eis imitanda proponimus, Coelestini Papae V. antecessoris nostri, Gregorii Nazianzeni, Petri Damiani aliorumque ob virtutes Sacerdotales omnium saeculorum praeconiis maxime dignorum Antistitum, ut interim sileamus legationibus et muneribus clarum Ardycinum juniorem a Porta Aleriensem Episcopum et S. R. E. Presbyterum Card. tituli Pamachii, a felicitatis recordationis Innocentio Papa VIII. renunciatum. Is enim, annuente Pontifice, dimissis dignitatibus vetus propositum in Sacrum Camal-

dulensium Eremum confugiendi resumere atque ultro executioni mandare sanctum existimavit. Ubi vero, quod minime credimus, iidem Regulares paternis nostris monitis aures accommodare noluerint, his nostris perpetuum robur habituris decernimus, volumus et praecipimus, ut monachi, mendicantes et cujuscumque alterius instituti Regulares, specialissima etiam mentione digni qui Episcopatu sibi pridem collato quacumque de causa se in posterum abdicare permisi fuerint, claustra suae Religionis repetere omnino teneantur et debeant; iis tantum exceptis, qui a nobis sive a Romanis Pontificibus antecessoribus aut successoribus nostris obtinissent vel obtinebunt facultatem expressam vivendi extra claustra sacro alicui muneri, quod cum vita claustrali exerceri non posset, ex peculiari voluntate nostra vel eorumdem antecessorum aut successorum nostrorum speciatim addicti: quod quidem munus respiciat servitium et obsequium nostrum vel successorum nostrorum sive hujus Sanctae Apostolicae Sedis. Eis autem vel eorum cuilibet, qui hanc Constit. violare tentaverint vel eam quomodocumque neglexerint, omni usu Pontificalium etiam cum facultate et permissione cujuscumque Episcopi exercendorum, penitus et undequaque interdiciamus, sique perseveraverint in contumacia non redeundi ad claustra, post annum sint eo ipso suspensi a Divinis.“

„Omnia vero et singula Romanorum Pontificum Decreta, Conciliorum Canones, Patrum dicta, sententias regulas, Constit., Usus, Consuetudines, Statuta his nostris literis memorata, post maturam hac de re habitam deliberationem, ex certa scientia, auctoritate nostra confirmamus innovamus et stabilimus inque plenario robore perpetuis futuris temporibus servanda